

ralium á collo mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur. *Gregor. in moral.*

14. Multum enim relinquit, qui sibi nihil retinuit, multum relinquit, qui quantumlibet parum totum deseruit. Certe nos et habita ex amore possidemus, et ea, quæ non habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisserunt, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit: multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta á non sequentibus concupisci potuerunt. *Greg. in hom. 5.*

15. Multa, fratres, relinquitis, si terrenis desideriis renuntialis: exteriora enim nostra, quamvis parva, Domino sufficient: cor namque et non substantiam pensat: nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. *Ibidem.*

16. Quisquis divini stimulo amoris excitatus hæc possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit: ut simul judex tunc cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. *Greg. in ho. super illud. Vos qui reliquistis, etc.*

17. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, etc.* Ad se venientibus Dominus præcipit, ut renuntiemus nostris: quia qui ad fidei agonem venimus, luclamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo possident proprium: nudi ergo cum nudo luclari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luclatur, citius ad terram dejectur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. *Gregor. in 32.*

18. Si vultis, omnia retinendo relinquitis, ut cum tota mente ad æterna tendatis. Si enim nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta relinquitis. *Gregor. in hom.*

19. Illi, qui ex possessis rebus subsidia agentibus ministrant, in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, et aliquid sibi reservant. Qui vero nihil sibi reservant, offerunt holocaustum, quod majus est sacrificio. *Greg. super Ezech.*

20. *Ecce nos reliquimus omnia, etc.* Bene Petre, et non ad insipientiam tibi, nimirum quia exullavit, ut gigas, ad currendam viam, nec currentem sequi poterat oneratus. Non inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. *Bern. in colloqui serm. ad Petr.*

21. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates. Plus enim mundi concupiscentia, quam substantia nocet, et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valent possideri. Facile enim cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. *Ibidem.*

22. Age ergo, qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento: imo vere maxime et principaliter abnega temetipsum, si desideras sequi eum, qui se exinanivit propter temetipsum. *Ibidem.*

23. Zachæus, cujus laus est in Evangelio, dimidium honorum suorum dedit pauperibus: sed ego multos Zachæos hinc video, qui nihil sibi ex omnibus reliquere. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zachæis istis, imo de Petris istis, qui fiducialiter loquuntur Domino: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te?* sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ est scriptum, et signalum. *Bern. in ser. c. 5.*

24. Si itaque quis renuntiat omnibus, quæ possidet, et suis non renuntiat moribus, non est Christi discipulus: qui enim renuntiat rebus suis, sua abnegat: qui vero renuntiat suis moribus, seipsum videlicet abnegat. *Isid. lib. 5. de sum. bon.*

25. Nihil proderit pecunias non habere, si voluntas fuerit in nobis possidendi. Miserabile autem est paupertatis ac nuditalis æstus tolerasse: fructus vero earum prævæ voluntatis vitio perdidisse. *Joan. Cass. de institutione monach. lib. 7. c. 24. et 22.*

26. Nemo est, qui non habeat, quod dimittat. Universis renuntiavit facultatibus mundi, quicumque affectum possidendi eas radicitus ampulavit. *Ibidem. c. 27.*

27. Nonnullos hujus mundi maximas facultates, et non solum multa auri et argenti talenta, verum etiam et prædiorum magnificentiam contemnescentes: post hæc vidimus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoveri, qui si utique contemplationem cordis mundi fixam tenerent, nunquam utique pro parvis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, eadem penitus abjicere maluerunt: nam plerumque tanto zelo codicem servant, ut eum ne leviter quidem legi, vel contingi ab aliquo patiantur, et inde furoris occasiones et impatientiæ ac mortis incurrant: inde monentur stipendia patientiæ et charitatis acquirere. Cumque omnes divitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus parvis et minimis retinentes, et pro ipsis nonnunquam mobiliter irascentes, veluti qui non habeant Apostolicam charitatem ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur. *Ibidem. in 4. coll. abb. Moysi, c. 6.*

28. Prima abrenuntiatio, qua corporaliter universas divitias mundi facultatesque contemnimus. Secunda qua mores ac vitia affectusque pristinos animi carnisque respuimus. Tertia qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea, quæ sunt invisibilia, concupiscimus. *Ibid. in 5. coll. Abb. Pas. nutii. c. 6.*

29. Prima renuntiatio rerum alienarum est ideoque per se solam perfectionem renuntianti conferre non sufficit: nisi pervenerit ad secundam, quæ vere abrenunciatio rerum nostrarum est, quam adepti expulsiōe omnium vitiorum, tertiæ quoque abrenuntiationis fastigia conscendimus, ut ita demum illud supremum mereamus audire, quod dicitur ad Abraham: Veni in terram, quam tibi demonstravero, quia perfecte renuntianti tribuitur, ut terram promissionis intrare mereatur. *Ibid. c. 10.*

30. Pudet dicere, ita plerosque abrenuntiasse conspiciamus, ut nihil amplius immutasse de interioribus vitiis ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantum atque habitum secularem. Nam et acquirere pecunias gestiunt, quas nec ante possederunt, quod famulos suos exinde, vel fratres alere se debere, justum esse contendunt, quibus profecto non proderit majores opes ac substantias contempsisse: quia affectus earum, ob quos illæ contemptæ sunt, in res parvas atque exiguas transtulerunt. Nam vitium cupiditatis atque avaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias relinquentes non abscondisse, sed immutasse se probant pristinam passionem. Nam nimia devicti diligentia erga curam psialthii, sportellæ, sagelli, codicis mattæ, aliarumque similium rerum quamvis vilissimarum: eadem tamen, qua ante libidine delinent, et ab aliorum contractatione defendunt, quæ universis fratribus debent esse communia. *Ibid. in collat. 4. Dan. c. 20. et 21.*

31. Quid differit, utrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species, nisi quod in eo reprehensibilior judicandus est: quod qui maxima spreverit, in minimis oblongetur? Ideoque perfectionem cordis abrenunciatio ista non oblinet, quia cum sensum habeat pauperis, non abjecit divitis voluntatem. *Ibidem.*

32. Hoc distat inter renunciare omnibus, et relinquere omnia: quia renunciare convenit omnibus qui ita licite utuntur mundanis, quæ possident, ut tamen mente tendant ad æterna. Relinquere, est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, et solis æternis inhiant. *Beda in glo. super Luc. 14. Qui non renunciarerit.*

33. Non sufficit ad perfectionem omnia relinquere, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur, id est, relictis malis, faciat bona. Facilius sacculus contemnitur, quam voluntas. Multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur. *Rab. in glo. super Matth. 19. Veni, etc.*

34. Quemadmodum qui amorem exuere conatur, evitanda est omnis admonitio corporis dilecti: nihil enim facilius, quam amor putrescit: ita qui deponere vult desiderium rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, et aures et oculos ab his, quæ reliquit, avertat. *Sen. 70. epist.*

35. Sunt quidam, qui quæstum contempserunt, nulli alii rei, quam quæstui vacantes. Excute illos qui quæ cupiðre, deplorant, et de earum rerum loquuntur fuga, quibus vacare non possunt. *Sen. 12. epist.*

36. Veni, dixit: non tam iucessu pedum, quam renovatione morum, quod est, non ambire terrena, non caduca lucra sectari, fugere honores infimos, contemptum omnium mundique, et cœlestia libenter amplecti, cunctis prodesse, amare, injurias nulli inferre, ac illatas patienter sufferre, sed et inferentibus veniam á Domino postulare: non suam, sed conditoris sui gloriam quærere, quidquid valet ad amorem supernorum, eligere: hæc et hujusmodi gerere, est vestigia sequi Domini. *Rab. in glo. sup. Matth. Veni et seq.*

Vide etiam in tit. Abusio, núm. 3. in tit. Apostoli, núm. 12. in tit. Avaritia, núm. 1. 9. in tit. Christus, núm. 14. in tit. Contemplatio, núm. 3, 4, 29. in tit. Contemptus, núm. 4. in tit. Gloria vana, núm. 9, 17. in tit. Honor, núm. 18. in tit. Libertas, núm. 6. in tit. Perfectio, núm. 4. in tit. Pietas, núm. 4. in tit. Virtus, núm. 9.

REMUNERATIO.

1. Manet spectator desuper cunctorum præcius Deus, bonis præmia, malis supplicia dispensans: nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque: quæ cum rectæ sint, inefficaces esse non possunt. Aversamini igitur vitia, virtutes colite, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelso porrigite: magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indiciæ probitatis, quum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. *Boët. de cons. lib. 5.*

2. Nutriunt præmiorum exempla virtutes: nec quisquam est, qui non ad munerum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur. *Cass. lib. 2. epist.*

3. Grave nimis est ut fructu laboris sui fraudetur industrius: et cui debet pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatulur injustum: et malorum omnium probatur extremum, ut inde quis cogatur detrimenta suscipere, unde credebat auxilia provenire, molestiam pati sine causa, pœnam sine culpa, damna sine delictis. *Ibidem.*

4. Tribuenda est justis laboribus compensatio meritorum, quia exprobatâ malitia creditur, si irremunerata transitur. Athletam populis palma designat esse victorem: sudores bellicos cincta corona testatur. Expectant equos etiam præmia sua, et tanta justitiæ vis est, ut nec illis tardius detur laboris pretium: qui sentire non poterant denegatum. Quod si ita est, dignum est hæc hujusmodi reddere, qui per honesta cognoscitur obsequia placuisse. *Ibidem.*

5. Æquum est enim ut unicuique proficiat labor suus, et sicut expendendo coguoscit incommoda, ita rebus perfectis consequatur augmenta. *Ibidem. lib. 5.*

6. Gloriosum quippe est honores passim impendere, sed laudabilius bene meritis digna præstare: quidquid enim talibus tribuitur, pro generali potius utilitate largitur. *Cass. lib. 4. epist.*

7. In lucrum cedunt, quæ bene meritis conferuntur, et de ipso munere magis acquiritur quum optimis digna præstantur. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Favor, núm. 5. in tit. Gloria æterna, núm. 14. in tit. Labor, núm. 4. in tit. Mandatum, núm. 10. in tit. Meritum et Mirabile, núm. 6. in tit. Oliositas, núm. 10. in tit. Opus, núm. 4. in tit. Peccatum, núm. 39. in tit. Sacerdos, núm. 35. in tit. Tentatio, núm. 2. in tit. Tribulatio, núm. 32.

RECIDIVATIO.

1. Nullum scelus coram Deo tam abominabile sit, quam præterita peccata unicuique nostrum dimissa, reminiscendo gaudere, et inde exultare. *Aug. in ep. ad quemdam comitem.*

2. Qui post lavacrum, mundi esse negligunt, qui post lachrymas vitæ innocentiæ non custodiunt, lavantur quidem, sed mundi non sunt: quia commissa flere desinunt, et iterum flenda committunt. *Aug. in gl. super illud Eccles. 34. qui baptizat. etc.*

3. Post fletum non committas, quod iterum necesse sit flere, nec defendas quod male locutus es, et quod malitiosa mente concepisti, pessima facta ne replices. *Glo. super ill. Eccles. 19. Non iteres verbum ducis.*

4. Venisti per viam fornicationis, ambula per viam castitatis: venisti per viam avaritiæ, ambula per viam eleemosynæ: si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis Herodis. *Chry. super Matth. 2. Per aliam viam.*

5. Cogita, ô homo, graviorem esse culpam post veniam: renovatum vulnus pejus dolere post curam: molestius hominem sordidari post gratiam, quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat. Sanitatis indignus est, qui semetipsum postquam sanatus est, vulnerat, nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. *Chry. in ho. quad.*

6. Qui gaudet in bonis, quæ invenit, et recordatur mala, quæ evasit, difficile redit ad malum. *Ibid. super Matth.*

7. Plerumque utile est arrogantibus deseri à Deo, quatenus suæ infirmitatis conscii ad humilitatem redeant, ut humiles post casum existant. *Ibidem.*

8. Uniuscujusque casus tanto majoris est criminis, quanto priusquam caderet, majoris erat virtutis. *Isid. Ibidem.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 2. 23. in lit. Peccatum, núm. 7, 23, 27, 28. in tit. Pœnitentia, núm. 11. in tit. Verecundia, núm. 11.

RESTITUTIO.

1. Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti, quia non plus potuisti, ideo non plus fecisti. Qui alienum negat, si potuit, tollit. *August. de ver. Apo.*

2. Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem non veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed ut dixi, quum resitui potest. *Ad Mac.*

3. Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, et dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse, simile rapinæ, si quid inventum, non reddant. *Orig. super Lev.*

RESURRECTIO.

1. Resurgent sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, sine difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erat. *August. in Enchir.*

2. Surrexit Christus, exultet universus mundus. Par etenim est, ut sicut omnis creatura lugubri doluit ploratu in morte Creatoris sui: et quæ funere noctis obscuro prosecuta est exequias in cruce morientis, nunc triumphalem ab inferis reditam læta suscipiat resurgentis. *August. in quod. serm. de Pasch.*

3. Ecce surrexit ab antro sepulchri redivina caro Phœnicis, quam cinnamomum decoxerat pietatis: granum frumenti quod solum in terra mortificatum est in passione, multum fructum attulit in resurrectione, solus enim mortuus est, sed solus minime resurrexit: quorum enim sepulchra in ejus passione sunt palefæ, horum corpora Christo resurgente sunt de pulvere suscitata: et sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur. *Ibidem.*

4. Tres mortuos invenimus à Domino resuscitados

visibiliter, multos invisibiliter: quos autem mortuos invisibiliter suscitaverit, quis novit? Non enim scripta sunt omnia signa, quæ fecit, quæ si scripta essent, arbitrator totum mundum non posse libros capere. *Ibid.*

5. Tres, scilicet filiam archisynagogi adhuc in domo jacentem, juvenem filium viduæ extra portam elatum, et Lazarum quatruiduanum sepultum. Sunt tria genera peccatorum quos hodie suscitavit Christus, delectationis, operis, consuetudinis. *August. de ver. Do.*

6. In hac die peccator de indulgentia desperare non debet. Si enim latro paradisi meruit, cur non mereatur veniam Christianus? et si illi Dominus, quum crucifigitur, miseretur: multo magis miserebitur, quum resurgit. Nam si passionis humilitas tantum præstitit confitenti, resurrectionis gloria quantum tribuet deprecanti? Largior enim solet esse ad præstandum læta victoria, quam addicta captivitas. *Aug. sive Max. in serm. de Pasch.*

7. Raptus est Dei filius ab humanitate ad divinitatem in assumptione, à passibilitate ad immortalitatem in resurrectione, à minoritate ad patris æqualitatem in ascensione: quia quantus fuit descensus à sinu patris ad patibulum crucis, tantus fuit ascensus à patibulo crucis usque ad dexteram patris. *August. in glo. sup. ill. Apo. 12. Raptus est filius ejus ad Deum.*

8. Venit Christus, et completa sunt in ortu ejus, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia præconia prophetarum. *August. in epist. ad Volusian.*

9. *Hæc est dies, quam fecit Dominus, etc.* Quis dies? nempe ille, qui tribuit vivendi principium, lucis exordium, auctor luminis ipse Dominus Jesus Christus, qui de semetipso ait: *Ego sum, inquit, dies: qui per diem ambulat non offendit.* Est enim pascha vere anni principium, primi mensis exordium, novella germinum, reparatio à terræ hyemis nocte discussa, primi veris restituta jucunditas: in quo Deus defixa humo cæli machinam suspendens, diem Solis ardore radiavit, splendorem Lunæ solatio noctis attribuit, penden-

tem cæli cameram splendentium siderum decoravit ornato. *Ambr. in epist. de misterio paschæ.*

10. In ipso raptu mors prævenit, et quasi per soporem egressa anima in momento redditur. *Ambr. super ill. Th. Replemur cum illis.*

11. Cerne manus Judææ, quas fixeras, cerne latus Romane quod foderas: videte corpus, an idem sit, quod dicebatis clam tulisse discipulos. *Hier. in epist. ad Heliod.*

12. Redemptor noster suscepit mortem, ne morti timeremus: ostendit resurrectionem, ut nos posse resurgere confidamus. *Gregor. in Mor. super Job. Scio quod, etc.*

13. Non casu factum est, ut discipulis Dominum videntibus post resurrectionem, electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet. Non casu gestum est, sed videndo et palpando factus est testis veræ resurrectionis. *Greg. in ho. tract. ill. Jo. 20. Quia vidisti me.*

14. Quod discipuli tarde crediderunt, non tam infirmitas illorum, quam nostra firmitas fuit: nam illis dubitantibus, resurrectio nullis argumentis monstratur: quia et comedit, et se oculis videndum, et manibus palpandum, et contrectandum præbuit, quod de solo spiritu esse non potest. Minus Maria Magdalene præstitit, quæ statim credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. *Greg. super ill. Matth. ult. Quidam autem.*

15. Sunt nonnulli considerantes, quod spiritus à carne solvitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in pulverem redigitur, quod pulvis in elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur: resurrectionem fieri posse desperant, et dum arida ossa respiciunt, hæc vestiri carnibus rursus quoque ad vitam viridescere posse diffidunt: qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Nam per momenta temporum cer-

minus arbusta viriditatem foliorum amittere, á fructuum prolacione post largitionem cessare, et ecce subito, quasi ex arescenti ligno; velut quadam resurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructus grandescere, et totam arborem redivivo decore vestiri. *Gregor. in moral.*

16. Consideremus parvum cujuslibet arboris semen, quod in terra jacitur, ut arbor ex illo producat: et comprehendamus si possumus, ubi in illa tanta parvitate seminis tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit, ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum. Numquid non in semine tale aliquid videbatur, cum in terra jaceretur? Quid ergo mirum, si tenuissimum pulverem á nostris oculis in elementa redactum, quum vult Deus in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat. *Ibidem.*

17. In omni re aut actu, virtus agendi spes est futuri. Qui enim arat, arat ut metat, qui pugnat, pugnat ut vincat, et post pauca: tolle ergo spem resurrectionis, et resoluta est observantia omnis pietatis. *Chrys. super ill. Matth. 29. Qui dicunt.*

18. Si igitur resurrectio non est, neque Deus est, neque providentia est: tunc casu omnia feruntur et aguntur. Videmus enim plurimos justos esurientes et injuriam patientes: peccatores autem et injustos in divitiis et in omni voluptate abundantes, sed quis unquam hoc justis iudicii, vel sapientis providentiæ opus bene sentiens suspicabitur? Erit ergo resurrectio: justus enim Deus est, et his, qui confidunt in eum, mercedis retributor. *Damasc. lib. 4.*

19. Proh dolor! tempus peccandi, terminus recidivandi, facta est resurrectio Salvatoris. *Bern. in serm.*

20. Resurget justus, ut judicet: peccator, ut dicatur: impius, ut sine iudicio puniatur. *Cass. super ill. psalm. Non resurgent.*

21. Affligimur in ejus passione, gaudeamus in ejus resurrectione: sic enim possumus pro dicitur, si ejus dispensationibus meremur aptari. *Cass. super psalm.*

22. Est in Christo homine uniuscujusque nostrum caro, sanguis et portio: ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo: ubi dominatur sanguis meus, dominari me sentio: ubi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. *Ma. in se. in pa.*

23. Quia in paradiso mulier viris annuntiat vitam: et sicut occasione sexus muliebris fuit introductio mortis, ita hic ex pietate sexus muliebris nuntiatio vitæ, ut quæ viro transfundat culpam, transfundat et gratiam. *Rab. super illud Matth. ult. Itē renunc.*

24. Quod Apostoli surrexisse Dominum mulieribus nuntiantibus, aut non credunt, aut deliramentum judicasse referuntur, graviter nemo arguat. Alte dubitat, qui alius credit: decipi non potest qui non est facilis audire. Ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus: rudis miles ad aciem concurrat, qui causam belli nescit, vim bellatoris ignorat: peritiam autem est, non segnitias, quum sensim miles veteranus accedit. *Pet. Chr. serm. 70.*

25. Desinunt ista non pereunt: etiam mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in luce reponet, dies æquo animo debet rediturus exire: observa orbem rerum in se remeantium. Æstas abiit, sed alter illam annus adducit: hyems occidit, referent illam sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. *Sen. 56. epi.*

Vide etiam in tit. Amor, núm. 30, 31. in tit. Ascensio, núm. 3, 4, 8, 11, 22.

REVERENTIA.

1. Cham nuditatem patris irrisit, et semen suum in servitutem perpetuam damnavit. Absalon quoque David de regno expulit, et concubinas ejus infestavit, sed morte condignas pœnas luit. Elisæi calvitium pueri Bethel irriserunt, et duo ursi de saltu ex eis quadraginta duos laceraverunt: et puerilis stultitia Ju-

dæorum in Calvariæ loco Christum crucifixum irrisit, sed quadagesimo secundo anno post ascensionem ejus duo ursi, Vespasianus et Titus de saltu gentium egressi, illusores sævissime laniaverunt. *Glo. Eccl. 5. sup. ill. Honora patrem tuum, etc.*

2. Boni reverendi sunt, ne offendantur: ne fortasse per eos ille provocetur ad iram, qui eorum corda semper inhabitat. *Greg. super Ezech.*

3. Dignitas, est alicujus cultu et honore et verecundia digna auctoritas. *Tullius in Rhet.*

4. Observantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam et honore veneramur. *Ibidem.*

5. Reverentia est virtus aliqua prælatione sublimitatis debitæ honorificationis cultum exhibens. *Ibidem.*

6. Veneratio, est virtus, qua reverentiam exhibemus majoribus in corporis humiliatione, gestu, nutu, et verborum emissionem. *Ibidem.*

7. Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est, ut quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas putarent. Qui etiam interpellati ad reddendam causam, hoc solum respondebant, ipsum dixisse, magnus honor, sed scholasticus. *Val. Max. lib. 8. de memor. doct.*

8. Non possumus ob honores reverentia judicare dignos, quos ipsis honoribus judicamus indignos. *Boët. de consolat. lib. 3.*

9. Bonus vir sine Deo nemo est. Ille dat consilia magna et recta. Magnorum fluminum capita veneramur: coluntur aquarum calentium fontes et stagna, quæ vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit. *Sen. 40. epist.*

10. Si hominem videtis intrepidum, et inexpugnabilem periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, non subjicit te veneratio ejus? vis istuc divina descendit. *Ibidem.*

11. Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: suscipiendi lamen sunt et ritu deorum co-

lendi: quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si Consulem video aut Prætozem, omnia quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. Quomodo ergo Marcum Catonem, et Lelium sapientem, et Socratem cum Platone in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego illos veneror, et tantis nobilibus assurgo. *Sen. 65. epist.*

Vide etiam in lit. Angelus, núm. 12, 19. in lit. Contemptus, núm. 9. in lit. Ecclesia, núm. 28. in lit. Honor et Martyrum, núm. 1.

SACERDOS.

1. Nemo in Ecclesia amplius nocet quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis vel sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit: et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. *Greg. in pa.*

2. Contemplamini, quid sit populo sancto præesse, et considerate, quale sit divinis sacramentis insistere. Altari vacare debent, qui de altari vivunt: et talis convenit cura synceritalis sacramentis, qualia sunt sacramenta ipsa, quibus exhibent officia servitutis, ne contra Deum offendant, ipsa quæ tractant, aut contra populum incipiant impedire, quod prædicant. *August. de sing. cler.*

3. Non despecta, non vetula absque affinitate peculiariter suscipienda est ad domesticum obsequium: quia magis cito delinquitur, ubi sine suspitione, securum potest esse delictum: maxime quia libidini nulla deformitas, nulla despectio obsistit, cui diabolus pingens speciosum facit, quidquid fœdum vel horridum fuerit. *Ibidem.*

4. Presbyteri, qui bene præsent vita et doctrina, digni habentur à subtilis duplici honore, scilicet ut spiritualiter eis obediant, et exteriora bona ministrent.

Boni enim dispensatores et fideles non solum honore sublimi præmiari debent, sed terreno: ut non contristentur indigentia sumptuum et gaudeant obedientia spiritualium: instantior enim fit, si non humilietur inopia, et crescit in illo auctoritas, quum videt se etiam in præsentis laboris fructum percipere, non ut abundet, sed ut non deficiat. *Glo. Aug. sup. 1. Tim. 5. Qui bene præsu.*

5. Qui animarum curam pro domino suscipit, ut errantes doceat, vel consoletur mæstos, vel temporalibus sustentet, vel renitentes ad remedia salutis protrahat, vel pastore destitutos gubernet, ut secum plures ad dominum perducatur, sapiens est, quia sibi, ut sublimius cum domino regnet, procurat. *Glo. sup. illud Proverb. 1. Qui suscipit animas sapiens est.*

6. Pastori ecclesiæ dicitur: Diligenter adhibe curam eis, quibus de præesse contigerit: agnosce animos et actus singulorum, si quid vitii in eis inveneris citius castigare memento. *Glo. super Prov. 27. Diligenter agnosce.*

7. Non enim tu semper pascendi dominicas oves potestatem habebis, sed æternam percipies coronam, si tuo tempore bene paveris.

8. Sobriam à turbis gravitatem, severam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat sacerdotalis. *Ambr. epist. 6.*

9. Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat veritatem non libere pronunciare. *Ambr. in epistol. ad Theo. Imp.*

10. Ex inordinata et indisciplinata multitudine sacerdotum hodie datur contemptui redemptoris nostri venerabile sacramentum: nam qui debuerant esse vicarii Apostolorum et filii Petri, facti sunt socii Judæ, et præambuli Antichristi. *Ambr. in quod. serm.*

11. Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos etiam nos christiani sumus, qui claves regni cælorum habentes, quodammodo

ante diem iudicii judicant. *Hieron. in quad. epist.*

12. Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. Lælamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mororis de sublimioribus corruisse: nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem sed pro omnium quorum abutimur donis, et nequaquam sumus de eorum salute solliciti. *Hier. super Ezech. li. 2.*

13. Considera sacerdotum esse officium, de lege interrogatos respondere: si sacerdos est, sciat legem Domini: si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse sacerdotem Domini: sacerdotis enim est scire legem, et ad interrogationem respondere de lege. *Hier. super Aug. pro.*

14. Convivia tibi vitanda sunt secularium, et maxime eorum qui honoribus tument. Turpe est enim ante fores sacerdotis Domini et pauperis crucifixi, qui cibo quoque vesceretur alieno, liciores consulum judicemque provinciæ et milites excubare. Melius est apud te prandere, quam in palatio. *Hier. in epist. ad Nepot.*

15. Infirmorum corda de mali presbyteri vita perculiuntur: securiores existentes, prolabantur licentius in peccatum. *Hieron. in quad. epist.*

16. Penset ergo sacerdos, quia ad satisfaciendum districto iudici de sua tantummodo anima forlasse vix sufficit, et quot regendis subditis præest reddendæ apud Deum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. *Gregor. in moral.*

17. Nihil tam onerosum ordini sacerdotum video quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare. *Greg. ho. 6. super Ezech.*

18. Nos, qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro suis peccatis obtulerunt, si comedimus et lacemus, eorum proculdubio peccata manducamus. *Greg. in ho.*

19. Pensate fratres quanta damnationis est, sine labore percipere mercedem laboris, quanti criminis,

pretia peccatorum accipere, et nihil contra peccata prædicando dicere. *Greg. in ho. Dignus est merc.*

20. Semper in sacerdotali pectore cum terrore severitatis custodiri debet virtus mansuetudinis, ut et iram mansuetudo custodiat, et mansuetudinem (ne forte dissoluta sit) zelus discretionis accendat. *Greg. in hom.*

21. Moli dum plus vitam sacerdotum, quam suam disculunt, in erroris foveam dilabuntur, minus considerantes, quod non eos vita sacerdotum læderet, si ipsi humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent, sed hypocritarum more magna trabe vulneratos habentes oculos eamque negligentes, festucam tenuem in aliorum oculis conspiciunt. *Ibidem.*

22. Causa sunt ruinæ populi, sacerdotes mali. Quis enim se pro populi peccatis intercessor objicial, si sacerdos, qui orare debuerat, graviora committat? *Greg. in re.*

23. Nullum ab aliis præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitalis cernit: plerumque, quod est gravius, sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt: plerumque, si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irident. *Greg. in ho. 27.*

24. Ingrediuntur electi, sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam, et sacerdotes Christi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis? quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœlestis mittit, et ipsa in cloacas descendit. *Ibidem.*

25. Nos, qui sacerdotes vocamur, qui supra ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie trepidi et lacentes videmus: et sequitur, tunc subjectus moritur sine te, quando in casu mortis te contradiclorem pertulerit: nam mori cui non contradicis, adjungeris. *Greg. in ho. 11. super Ezech.*

26. Quidquid præter necessarium victum ac sim-

plicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *Bern. in epist. 2.*

27. Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi relinent, et in usus suæ superbiæ luxuriaque victum pauperum consumere non verentur duplici profecto iniquitate peccant, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus et turpitudinibus abutuntur. *Bern. in ser. 24. super Cant.*

28. Quid tibi cum sœminis, qui ad altare cum domino familiaris es? Qualiter eisdem labiis oscularis in altari filium Virginis, quibus oscularis in lupanari filiam meretricis. *Ibid. in epist.*

29. Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in percussione tua primi, qui videntur in ecclesia tua primatum diligere, gerere principalum, arcem Simonis occupaverunt, apprehenderunt munitiones, et universam deinceps libere et potestative tradunt incendio civitatem. Non est jam dicere, ut populus, sic sacerdos, quia nec sic populus ut sacerdos. *Ibidem.*

30. Si talem mihi aliquem adducas monachum, quales, ut exaggerationem dicam, Elias fuit, non tamen illi comparandus est, qui traditus populo et multorum peccata ferre compulsus, immobilis perseverat et fortis. Si quis autem bene administrato sacerdotio illius propositi, scilicet monachalis sudores conserat, tantum eos distare reperiet, quantum inter privatum distat et regem. *Chrys. in suo dial.*

31. Et qui vult alterum ad officium sacerdotale pertrahere, sufficere non iudico testimonium quod opinione collegerit, sed cum favore illius bonæ opinionis etiam ipsum animum ejus, qui eligitur noscat diligenter. *Chrys. de dignitate sacerdotali lib. 2.*

32. Sacerdotis aspice dignitatem: agitur in terra, sed officium cœlestibus negotiis continetur. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc

munus instituit, atque adhuc manentes in carne mysterio fungi præstitit angelorum. *Ibidem.*

33. Per ipsos Christum induimus, per ipsos Dei filio conjungimur, per ipsos membra beati ipsius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis, quam reges aut judices, sed etiam nobis magis erunt honorabiles, quam parentes? *Ibidem.*

34. Sapientissimum esse oportet et perspicacem in omnibus sacerdotem, et mille, ut dicitur, ex omni parte oculos habentem: quippe qui non solum sibi, sed etiam populo vivit. *Ibidem.*

35. Qui ordinant indignos, eisdem subjacent pœnis, quibus illi, qui indigni sunt ordinati, et si dicant se eorum vitia ignorasse, unde Apostolus ad Timoth. *Manus cito nemini imposueris, nec communicaveris peccatis alienis*, imo ex hoc gravius crimen efficitur: quoniam absolverunt vel promoverunt eum, quem ignorabant, atque id quod putabatur esse excusatio, fiet accusatio. *Ibidem.*

36. Bene agente populo, unusquisque pro suo merito remuneratur, sacerdos autem pro bonis omnium: habent enim pro propriis lauream, et pro acquisitione aliorum aureolam. *Chry. super Matth. 25. Amen dico vobis, super omnia, etc.*

37. Multi sacerdotes, et pauci sacerdotes: multi in nomine, et pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram: quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa; qui male sederit, injuriam facit cathedræ: In judicio enim sedes, si bene vixeris quidem et bene docueris, et omnium judex eris: si autem bene docueris, et male vixeris, tui solius. Nam bene vivendo, et bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere. Bene autem docendo, et male vivendo instruis Deum, quomodo te debeat condemnare. *Chry. super Matth. ho. 25. tractans illud, Super cathedram Moysi.*

38. Melius est propter bonos etiam malos fovere:

quam propter malos etiam bonos contemnere: propter bonos ergo sacerdotes etiam malos honorare, ne propter malos etiam bonos contemnatis. Melius est enim malis injusta præstare, quam bonis subtrahere. *Ibidem.*

39. Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt: Sicut enim peccatorem convenit argui, ita justum non exulcerari. *Isid. 5. de sum. bon.*

40. Sacerdotes si consolentur afflictos, si pascant egenos, si vestiant nudos, si redimant captivos, si suscipiant peregrinos, si desperatis spem veniæ consequendæ promittant, et quidquid ad officium suum perlinet, constanter exerceant: quis sic erit alienus à fide, ut dubitet tales contemplativæ vitæ esse participes, quorum exemplo simul ac verbo plures fiunt regnorum cœlestium cohæredes? isti sunt ministri verbi Dei, adjutores Dei, oraculum Spiritus sancti, per tales Deus placatur in populo, et populus instruitur Deo. *Prosp. lib. 1. de vit. contemplativ.*

41. Considera diligenter vultum pecoris tui. Vultum pecoris considerat, qui quid singuli subjectorum possint, non ignorat: cui per confessionem corda, per circumspectionem opera, per experimentum quid possint, per affectus quid velint, ratio manifestat, et vocem, inquit, meam audiunt. Tres sunt pastoris voces, scilicet suavis, dulcis, et alta. Suavis ad infirmum, ad morientem dulcis, ad surdum pertinet alta. *Hugo de claustr. anim. lib. 2.*

42. Accessit ad Jesum Petrus, accessit et Judas, accesserunt et discipuli, accesserunt et milites crucifigentes, accedunt et perversi sacerdotes: quia ea quæ offeruntur in mensa Christi, offerunt in mensa diaboli, ipsa est alea fabuli. In illa Deum invocant, in ista perjurant, legem Dei nec sciunt nec discunt: vacantes otio, comessionibus et ebrietatibus student: terrenis inhiant, terrena sapiunt, assidui in plateis, in Ecclesia rari, tardi ad investigandum culpam peccatoris, parati ad quærendum vestigia leporis, velociore ad congregandos canes, quam ad vocandum pauperes.

Libentius porrigunt panem cani, quam pauperi: plures serviunt ei ad mensam, quam ad missam: famulos aut famulas secum habere volunt, sed clericos habere non possunt, quia nolunt. Hi sunt, quorum thalamus ornatio est Ecclesia sua, mensa paratio altari, cyphus calice pretiosior, equus carior missali, cappa pulchrior casula, camisia delicatior alba. Ecce quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. *Hug. ibi. de 12. abusionibus.*

Vide etiam in tit. Confessio, núm. 5, 18, 20 in tit. Correctio, núm. 69, 70. in tit. Decima, núm. 6. in tit. Ebrietas, núm. 20. in tit. Eleemosyna, núm. 21. in tit. Eucharistia, núm. 10. in tit. Exemplum, núm. 19. in tit. Fama, núm. 4. in tit. Monachus, núm. 11. in tit. Osiositas, núm. 10. in tit. Pœnitentia, núm. 37, 38. in tit. Prælatio, núm. 4, 8, 26, 51, 71, 72. in tit. Sacramentum, núm. 2, 3.

SACRAMENTUM.

1. Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, á quo in libertatem vocali sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Deo liberæ multitudinis continent: sed quidam ipsam religionem nostram, quamque manifestissimis et paucissimis celebrationum sacramentis Dei misericordia nolunt esse liberam, servilibus prement oneribus. *August. in lib. de vera. relig.*

2. Scio, quia lapis ex aqua fructum ferre non potest, et per lapideos canales transit aqua ad areolas, et in canali lapideo nihil generatur, sed hortus plurimum fructum affert: spiritualis vero virtus sacramenti ut lux pura ab illuminandis recipitur: sed per immundos transiens, non coinquinatur. *Aug. in lib. cont. Donatistas.*

3. Intra Catholicam Ecclesiam, in ministerium corporis et sanguinis Domini nihil á bono majus, nihil á malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito

consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, et virtute Spiritus sancti. Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret: nunc autem sicut Christus ipse est, qui baptizat: ita ipse est, qui per Spiritum sanctum efficit carnem, et transfundit in sanguinem. Credendum enim est, quod in verbis Christi sacramenta conficiantur: cujus prius creantur imperio, ejus ulique verbo recreantur ad melius. *August. in lid. de corpore Christi.*

4. Omnia sacramenta, quum obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus. *Aug. cont. epist. Parme. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Baptismus, núm. 1. in tit. Eucharistia, núm. 6, 13, 20. in tit. Excommunicatio, núm. 1. in tit. Misericordia, núm. 12. in tit. Salus núm. 4.

SALUS.

1. Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire, nullum invitatum salutem, nisi Deo auxiliante, operari, nullum nisi orantem auxilium promereri, nullum voluntate Dei perire, sed permissu. *August. in lib. de diffn.*

2. Nullum omnipotentí Deo tale sacrificium, quale est zelus animarum. *Gregor. ho. 22. super Ezechiel.*

3. Monstratur, quod non omnes divites pereunt, nec pauperes salvantur universi: sed ex istis et illis salvantur et pereunt. *Chry. super ill. Matth. 24. Unus assumetur.*

4. Tria sunt, quæ ab initio, et ante adventum Christi, et post, ad salutem oblinendam necessaria fuerunt, scilicet fides, et sacramenta fidei, et opera bona, quæ tria ita cohærent, ut salutis effectum habere non possunt, si simul non fuerint: quia nec fides meritum habet, si dum potest operari, negligitur: nec opus bonum est aliquid, si sine fide sit, et rursus fides operans, hominem sanctificare non sufficit, si eam, quæ in sacramentis Dei constat, sanctificationem concipere contemnit. *Hugo de sacr. lib. 1. part. 10.*

5. * Incredibile est alicui tantam ignaviam esse insitam, ut salutem suam negligat. *Demost. Olynth.*

6. * Homines ad deos nulla re proprius accedunt, quam salutem hominibus dando. *Cicer. de Manil.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 19, 35. in tit. Error, núm. 8. in tit. Vitium, núm. 17.

SANCTITAS, VEL SANCTUS.

1. Nullus sanctus et justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus, vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. *August. de diff. eccl. dogm.*

2. Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer aestimator est. Ipse est, qui ordinatam habet charitatem, ne aut diligit, quod non est diligendum, aut non diligit, quod est diligendum, aut amplius diligit, quod minus est diligendum, aut minus diligit, quod amplius est diligendum, aut minus, aut amplius, quod æque diligendum est. *Aug. in lib. doctrin. Christian.*

3. Ista sunt, quæ sanctitalis causa servanda sunt: Pudicitia corporis, castitas animæ, et veritas doctrinæ. *Ibidem.*

4. Quanto est quisque sanctior, et desiderii sancti plenior, tanto est ejus in orando fletus uberior. *August. in lib. de civit. Dei.*

5. Discamus ergo et sanctorum invidiam, ut imitemur patientiam, et cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed observantiæ majoris, nec vitia nescire, sed emendasse. *Ambr. in lib. de Joseph.*

6. Nec rusticus, nec tantum simplex frater ideo se sanctum putet, si nihil noverit, nec peritus et eloquens in lingua aestimes sanctitatem: mulloque melius est de duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quam eloquentiam peccatricem. *Hier. in epi. ad Paul.*

7. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est: quia et Hierosolymis, et de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. *Ibidem.*

8. Ab omni nequitia mundum necesse est esse, et dolo, qui cupit regnare cum Christo. Si vis ha-

bere partem cum Christo, Christi exemplo tibi vivendum est. Si sanctorum cupis habere consortium, à malitiæ et nequitia cogitatu pectus emunda: quia non nisi sanctos, et justos, simplices, innocentes, et puros cœlestis aula suscipiet. *Hieron. in quad. epist.*

9. Sancti viri, quo alius aq̄d Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci sunt, quidquid eos in seipsis latebat inveniunt. *Gregor. in moral.*

10. Sancti viri nec elatione sunt liberi, nec ex timore submissi: sed cum rectitudo eos ad libertatem non erigit, consideratio infirmitatis ipsa in humilitate custodit. *Ibidem.*

11. Tria sunt, quæ in festivitibus sanctorum vigilantè considerare debemus, auxilium sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Auxilium ejus, quia qui potens in terra, potentior est in cœlis ante faciem Domini sui. Si enim dum hic adhuc viveret, miserus est peccatoribus, et oravit pro eis, nunc quanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras? orat pro nobis patrem, quia beata illa patria charitatem ejus non mutavit, sed augmentavit: imo potius movit sibi viscera misericordiæ, quum ante fontem misericordiæ adsistet. Debemus etiam vitam ejus attendere: quia quamdiu in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dicit: *Ego sum via, veritas et vita.* Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo et nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed impossibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit, ut sequamur vestigia ejus? *Bernar. in quodam serm.*

12. In sanctorum festivitibus, et gaudere, et confundi debemus: gaudere, qui patronos præmisimus: confundi, quia eos sequi non possumus. *Ibidem.*

13. Fidelis quippe sermo et omni acceptione dignus, ut quos solemnè veneratione prosequimur, etiam

consimili conversatione sequamur. Quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curamus, quorum delectamur præconiis, eorum sublevemur patrocinis. *Ibidem.*

14. Summopere nobis desideranda sunt suffragia sanctorum, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum intercessione donetur. *Ibidem.*

15. Sanctorum virorum est, non inquirere mansionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideliores: nec gaudent, ubi epulæ largæ sunt, sed ubi sanctitas floret. *Chry. super 24. Matt. cap.*

16. Quæ est ista justitia, sanctos colere, et sanctitatem contemnere? Primus gradus pietatis est, sanctitatem diligere, postea sanctos: quia non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante eos. Sine causa ergo justos honorat, qui justitiam spernit. *Ibidem.*

17. Qui sanctorum merita religiosa charitate miratur, quicumque justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos, atque justitiam imitetur: quopiam quem delectat alicujus sancti meritum, delectare decet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat: aut laudare non debet, si imitari detrectat, ut qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. *Chry. ser. de conf.*

18. Qui peccat, de sanctis exit: non enim in locis sancta quærenda sunt, sed in actibus et vitæ moribus: quæ si secundum Deum sint, et secundum præceptum Dei habeantur, etiam si in domo sis, etiam si in foro, et quid dico in foro? etiam si in theatro inveniaris, verbo Dei deserviens, in sanctis te esse non dubites. *Orig. ho. 24. 42. super ill. Levit. De sanctis non exhibet, etc.*

19. Joannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiae titulus, castitatis exemplum, penitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina: Joannes major homine, par angelis, legis summa, evangelii satio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi,

officium præconis, præco judicis, Domini testis, totius medius Trinitatis. *Pet. Chr. in ser. de Joan. Bapt. serm. 127.*

20. Plena laudatio est, quæ genus, mores, officium, factum, judiciumque comprehendit; genus in majoribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandato, in justificatione judicium. *Beda super Luc. lib. 4. tractans ill. Erant ambo justi ante Deum.*

21. Nascitur Joannes major homine, par angelis, tuba cæli, præco Christi, arcanum patris, filii nuntius, signifer superni regis, peccatorum venia, judæorum correctio, vocatio Gentium, et, ut proprie dicam, legis et gratiæ fibula. *Pet. Chr. in serm: de Joan. Bapt. serm. 91.*

22. Stephanus, ut nominis sui coronam mereretur accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat, per charitatem Dei sævientibus Judæis non cessit, per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit: per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. *Fulg. in ser. de S. Steph.*

23. Augustinus episcopus, acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in questionibus solvendis acutus; in convincendis hæreticis circumspectus, in expositione fidei nostræ catholicus, in explanandis scripturis canonicis cautus, hæreticorum omnium malleus fortissimus. *Prosp. lib. 5. de vita contemplativ.*

24. O lucerna digne super candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de septiformi ligno pastum, oleo lætitiæ lumen effundens, densas hæreticorum caligines discutit, et lucem veritatis a confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilat. Os enim tuum fistulam aquæ vivæ et venam fontis æterni merito dixerim: ac fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam: cujus desiderio silivit in te anima mea, et ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit. *Paulin. in epist. ad Eugenium.*

25. Augustinus tanta scripsit, ut diebus ac noctibus non solum scribere libros ejus quisquam, sed nec legere quidem valet. *Isid. lib. 7 etymol.*

26. Hieronymus sex millia librorum Origenis legisse fatetur. *Ibidem.*

Vide etiam in lit. Beatitude, núm. 3. in lit. Exemplum, núm. 6, 14. in lit. Militia, núm. 12. in lit. Solemnitas, núm. 1. in lit. Solitudo, núm. 2. in lit. Superbia, núm. 1.

SANITAS.

1. Quid boni habet sanitas, languor ostendit, et in comparatione gravioris morbi sanos nos esse credimus. *Hier. in quadam epist.*

2. Sanitas, est integritas et temperantia naturæ ex calido et humido, quod est sanguis: unde sanitas dicta est, quasi sanguinis status. *Isid. lib. 4. etymol.*

3. Qui enim mentis gaudio recreatur, facilius membrorum recipit sospitatem. Naturalis siquidem cura est, ægris dare lætitiã: nam fac invalidum gaudere, et sanatus est. *Cas. li. 2. Epist.*

Vide etiam in lit. Confessio, núm. 28. in lit. Infirmitas, et Medicina.

SAPIENTIA, VEL SCIENTIA.

1. Qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam, nec fiet quisque qualis esse cupit, nisi oderit qualis est. *August. de vera relig.*

2. Non aliam putes esse sapientiam nisi veritatem, in qua tenetur et cernitur summum bonum: nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet, dementes in se omnes in melius commutat, á nullo in deterius commutatur: nullus de illa judicat, nullus sine illa bene judicat. *August. de lib. arbitr.*

3. Hæc tota scientia magna hominis, scire, quia ipse nihil est per se, et quoniam quidquid est, ex Deo est, et propter Deum. *Aug. super Psal. 70.*

4. Qui se dicit scire, quod nescit, temerarius est. Qui se negat scire, quod scit, ingratus est. *August. in ser. de ascensione.*

5. Hæc est sapientiæ et scientiæ recta distinctio, ut ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis; ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis. *Aug. in lib. de trin.*

6. Sapienti nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum: quocumque accesserit, sua omnia totus ei mundus possessio est: quoniam toto eo, quasi suo, utitur. *Ambr. epist. 56. ad constantium.*

7. Ubi cumque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua intelligitur, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem se judicat. *Ibidem.*

8. Qui thesauros effodit, terram rejicit, foveam in altum facit, sedulus insistit, donec inveiat quod quærit: sic qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, omne pondus terrenum á se rejiciat, in se fossam humilitatis faciat, nec quiescat donec inveniat. *Glo. Hier. super illud. Prov. 2. Si sapientiam quasi. quasi pec. et sicut Thes. effo. illam.*

9. Nihil magis ad spem percipiendæ sapientiæ mentes erigit, quam quum eos, quos in sapientia clarescere miramur, aliquando parvulos et indoctos fuisse meminimus. *Glo. Hier. super illud Prov. 4. Nam et ego filius fui patris mei tenel.*

10. Non aurum, non divitias, non terrenam gloriam Salomon á Deo petiit: sed ut sciret populum Dei regere et judicare. Si hoc elegit rector corporum, multo magis hoc eligere debent rectores animarum, ut ingressum ad fidem, et ingressum ad spem populo Dei demonstrarent. *Glo. super ill. Reg. 2. et Paral. 4. cap. Da mihi sap. et intell. ut ingrediar. et regr. etc.*

11. Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare: hæc nimirum prudentia usu á juvenibus scitur: hæc á pueris pretio discitur: hanc qui sciunt cæteros superbiunt despiciendo, hanc qui nesciunt, subjecti et limidi in